



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Francisci Svarez Granatensis E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Primarij
at[que] Emeriti olim Professoris Tractatvs Qvinque, Ad
Primam Secvndae D. Thomae**

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1629

5. An possit esse veniale.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94065)

De originali, ut infra constabit, non quidquid ipse voluit, cum peccavit voluerunt omnes posterius voluntate eius, sed solum illius precepti transgressionem, quod illi, ut capiti totius posteritatis erat impositum, alia vero damna sequuta imputari poterunt Adæ, ut particulari personæ, non vero posteritati eius. Concilium autem Tridentinum solum hoc definit in renatis, quia illud tantum erat indubitatum, & pertinebat ad fidem, & eundem puto esse sensum D. Augustini, quod confirmatur, nam si voluntas Adæ sufficiens est, ut hæc concupiscentia esset peccatum in infideli dormiente, talis motus esset peccatum, ut in puero ante usum rationis, quod solum indicat Augustinus 7. de Civitate cap. 11. & lib. 6. de duabus animabus contra Manichæos cap. 10. videatur etiam secundo libro de gratia Christi capite octavo.

V. Ad fundamentum Lutheranorum respondeo, preceptum illud, non concupisces, ad voluntatis consensum referri: idem est illud, post concupiscentias tuas ne abeas, &c. ut tractatu 2. agentes de voluntario, ex sententia Patrum diximus. Et præterea patet, preceptum enim debet esse de re possibili, i. Ioan. 5. Mandata eius gratia non sunt. Mar. 11. Iugum meum suave est. Deuteron. 4. & in Tridentino sess. 6. c. 11. concupiscentia vero, sæpe antevertit deliberatam voluntatem. Secundo, quia sensus non est capax precepti, quia neque potest cognoscere superioris potestatem, neque vim precepti, neque rationem turpis, & honesti. Tertio reliqua precepta Decalogi ad voluntatem referuntur, tandem ipsamet Scriptura ita interpretatur hoc preceptum, Eccl. si assici 18. ad Romanos 6. & ideo Matth. 15. Ea solum conquinant hominem que ex corde exeunt, id est, à voluntate, & libero consensu. Dices, si hoc preceptum non cadit in hos motus, etiam non erit prauum consentire illis. Respondeo negando consequentiam, quia prohibitum est velle illos, & consequenter, licet illi non sint prohibiti, ut motus quidam naturales, tamen vetantur, ut habent rationem obiecti amabilis, & supponuntur esse aliquo modo actus humani, & liberi: vide Augustinum 6. contra Iulianum cap. 18.

VI. Ex quibus locis patet male hæreticos exponere illa verba ad Romanos 7. Concupiscentiam nesciam nisi lex diceret, non concupisces, &c. non est enim sensus, legem veterem demonstrare istos motus per se esse peccata, nam aperte ibi Paulus vocat hanc legem, non concupisces, legem mortis, tanquam ad intellectum, & voluntatem pertinentem, vnde ibidem ait, si autem quod nolo facio, consensio legi, id est, licet sensus concupiscat, si tamen ego nolo, obedio legi, signum ergo est ad voluntatem referri, addit tamen, quia iam non operor illud, sed quod habitat in me peccatum. ubi fomitem peccatum vocat: quia & ad peccatum inducit, & ex peccato est, tanquam pœna peccati: est enim nomen peccati mortalis in Scriptura multiplex, nam proprie culpam, translate vero, interdum significat vel hostiam pro peccato, vel pœnam, & hoc modo usurpatur hic, ut docet Tridentinum supra, & Sancti citati, & Augustinus 1. de nuptiis cap. 23. & patet ex ipso sermone Pauli, nam non loquitur de actu concupiscentiæ, sed de ipso inordinato principio, quod fomes dicitur, & idem vocat legem peccati, quod metaphorice dictum est: quod ergo inquit, concupiscentiam nesciam, propter Iudæos dicitur, qui, ut supra dixi, non intellegebant solum interiorem consensum esse peccatum, neque quia dicit, legem peccati repugnare legi mentis, ideo sequitur concupiscentiam esse peccatum, quidquid legi quomodoque repugnat

peccatum est, sed voluntaria eius transgressio, neque peccare potest contra legem, nisi ille cui lex est imposita, non est autem imposita lex appetitui, sed voluntati.

VII.

Ad loca Augustini ibid.

Ad August. respondeo mentem eius satis constare ex eisdem capitibus, in illo ergo loco secundi libri contra Iulianum concupiscentia dicitur peccatum, non quia hominem faciat reum, sed quia reatu primi peccati facta est, & ideo 1. de nuptiis cap. 25. ait per Baptismum non tolli concupiscentiam, sed reatum illius, nam tollitur originale peccatum, propter quod homo est reus concupiscentiæ, & aliarum pœnarum, & hoc idem est, quod ait Baptismo fieri, non ut concupiscentia non sit, sed ut non imputetur, quia scilicet aufertur culpa à quo ipsa oritur. In aliquibus præterea locis indicat Augustinus concupiscentiam esse peccatum, licet non possimus ei resistere: tamen nunquam loquitur de potestate simpliciter, sed morali, & vocat impossibile quod est difficillimum, & non loquitur generaliter de omnibus hominibus, speciatim de quibusdam, qui culpa sua, & prava concupiscentia, ita sunt dediti concupiscentiæ, ut vix possint resistere: frequentius tamen loquitur de culpa veniali, & de impotentia vitandi omnes hos motus collectiue, non singulos: & hoc modo dicit legem illam, non concupisces, imperfecte impleri in hac vita, quia saltem venialiter, occasione concupiscentiæ, ab illa deficimus, videatur idem Augustinus de spiritu, & litera cap. ultimo, & de perfectione iustitiæ circa finem, & 1. de nuptiis cap. 29. sermone vero 45. de tempore, dicit preceptum illud servari in hac vita quoad substantiam, non vero quoad finem precepti, quod alias dicit de precepto charitatis. Quod denique Augustinus ait Deum odisse concupiscentiam, vel est intelligendum de concupiscentia voluntaria, vel certe propter radicem eius, hoc enim modo 1. Ioannis 2. dicitur non esse ex patre, sicut enim dicitur in scriptura, Deum odisse mortem.

SECTIO V.

An in appetitu sensitivo per se possit esse veniale peccatum.

Dico per se eodem modo, quo in titulo præcedentis sectionis Caietanus 1. 2. quest. 74. art. 4. affirmat, & videtur favere D. Thomas, dicit enim in sensualitate posse esse peccatum veniale, non mortale: loquitur ergo de sensualitate secundum se, nam, ut subest voluntati, etiam mortale potest esse in illo, ut dicemus. Idem colligitur ex articulo secundo, & 3. & ex differentiis, quam constituit inter appetitum sensitivum, & membra exteriora. Fundamentum est, quia appetitus sensitivus per se habet aliquam deliberationem, & libertatem, ut indicat ibid. D. Thomas & 2. d. 21. quest. 1. & faver Aristoteles 1. Politicorum cap. 3. & 1. Ethicorum cap. ultimo, ubi dicit appetitum moveri politice: non potest autem moveri politice, nisi quod est mobile liberum. Et ratione patet, quia cogitativa hominis est particeps rationis, vnde potest componere, & discernere in particularibus, vnde libertas oritur. Confirmatur, quia experimur illos concupiscentiæ motus discursum, vel ratione remitti, vel intendi. Confirmatur secundo, nam ideo in appetitu ponuntur ab Aristotèle, & D. Thom. quedam virtutes morales.

L1 4 Respon-

II.
Vera resolu-
tio.

Respondeo in appetitu per se non potest esse peccatum veniale, & opposita sententia est improbabilis. Probatur ex omnibus allatis contra hereticos in sectione præced. nam sine distinctione venialis, vel mortalis peccati, docent omnes Patres sine voluntate non esse peccatum, Augustinus 1. retractationum cap. 9. *Voluntate peccatur; & recte vivitur* & 3. de libero arbitrio capite 18. & Tridentinum sessione 5. dicit concupiscentiam sine voluntate nihil nobis nocere. Quod optime docet Augustinus libro de duabus animabus capite decimo & 11. & Chrysostomus tomo tertio ad Romanos 7. *Si quid nolens facio, iam non ego operor illud; & infra, mente servio legi Dei.* Ratio a priori est, quia appetitus sensitivus non est capax actus honesti per se, ergo neque alicuius peccati, cum eius ratio consistat in privatione honestatis, & ideo supponat capacitatem. Antecedens vero patet, quia sensus non potest cognoscere rationem honesti, quæ consistit in rectæ rationis conformitate. Secundo nulla potentia potest habere libertatem ad peccandum venialiter, & non mortaliter, ut supra sect. 3. dictum est ex doctrina etiam Caietani: sed in appetitu sensitivo non est libertas ad mortale: ergo. Tertio, quia sequitur omnem consensum voluntatis semper continere duo peccata alterum veniale, alterum mortale, quia semper consentit appetitus, deinde sequitur eum, qui sua voluntate omnino resistit concupiscentiæ, neque potest illam omnino frænare, venialiter peccare, quod videtur erroneum: unde vltterius sequitur simul in eadem materia hominem mereri per voluntatem, & per appetitum sensitivum peccare venialiter, quod est absurdum, & sequela patet, nam resistendo per voluntatem coronatur, secundum fidera, & aliàs concupiscentia per se & ex proprio principio peccatum veniale est, ergo retinebit suam malitiam licet voluntas repugnet. Dices fieri fortasse non posse, ut voluntate perfecte repugnante concupiscentia duret. Sed in primis hoc falsum est, ut infra dicam. Deinde illo opposito, iam concupiscentiæ motus non esset malus propter ipsum appetitum, sed propter negligentiam voluntatis, ut D. Thomas ait q. 7. de malo art. 6.

III.
Ad D. Tho.
in 2. d. 24. q. 10. art. 2.
allatum.

Ad fundamentum Caietani in primis nego D. Thomam hoc sentire. nam artic. 1. & 2. ad 1. & in 2. d. 24. q. 10. art. 2. expresse docet nullum peccatum committi, nisi voluntate: quo tamen sensu tribuat appetitui sensitivo magis veniale, quam mortale, sect. sequenti: commodius exponetur. Ad fundamentum nego appetitum sensitivum habere libertatem vllam: libertas enim quoad specificationem requirit cognitionem singularium rationum bonitatis, & malitiæ, & facultatem quandam ad considerandum pondus vniuscuiusque bonitatis & malitiæ, & ad conferendum vnum bonum cum alio: libertas vero quoad exercitium requirit vim ad cognoscendum quasi per reflexionem ipsum motum appetitus, & an sit bonum exercere illum, nec ne: hæc autem manifeste requirunt vim, & perfectionem rationis, ut D. Thomas 1. part. quest. 32. & 33. late declarat: neque verum etiam est, cogitativam quoque posse proprie discurrere, vel ratiocinari, licet possit vti recordatione quadam, & ex vno in aliud veluti inuestigando pervenire: dicuntur autem istæ potentia rationis vim participare, quatenus per coniunctionem ad rationem, & in se multo magis perfectæ sunt, & aptæ moveri à ratione. Ad primam confirmationem iam circa questionem 17. art. 7. in 1. 2. exposuimus illam motionem fieri sine li-

bertate. Ad secundam ipse D. Thomas q. 74. art. 1. ad 2. dicit virtutem non esse in appetitu, nisi ut subest motioni voluntatis, quod suo loco explicabitur.

SECTIO VI.

An omnis concupiscentia appetitus sit semper veniale peccatum solum ex defectu voluntatis.

Sunt Theologi, qui in generali id affirmant, I. Indicant Magister in 2. d. 24. & tenet Altiusdior. Quærun- lib. 2. summa tractatu 28. cap. 1. Parisiensis 2. p. tra- dam- statum de matrimonio. cap. 7. Alij vero hoc limitant, venia, dicunt enim concupiscentiam, que oritur ex naturalis dispositione corporis, posse interdum esse sine peccato non tamen eam, quæ oritur solum ex approbatione imaginatiæ; ita Alentis 1. p. q. 125. art. 1. Durandus 2. d. 42. quest. 6. Bonavent. & alij d. 24. D. Anroni. 2. p. titulo 5. cap. 1. §. 4. Petrus de Soto in suo pastorali tractatu de peccato originali. D. Thomas fauet his autoribus qui 1. 2. quest. 74. art. 3. ad 3. & in 2. d. 21. quest. 1. artic. 2. ad 5. & quest. 7. de malo art. 6. ad 8. expresse tenet secundam sententiam, tamen 3. p. quest. 41. art. 1. ad 3. dicit tentationem, quæ ut per internam delectationem & concupiscentiæ motum, non fuisse in Christo, quia non posset esse sine peccato, dicente Augustino 19. de Civitate cap. 4. *Quando caro concupiscit adversus spiritum, nonnullum peccatum est:* & lib. 4. contra Iulianum cap. 2. & lib. 5. & 3. etiam indicat concupiscentiam esse peccatum aliquod. Fundamentum totius huius sententiæ esse debet, quia est in hominis potestate per rationem, & voluntatem impedire omnes hos motus, si ratio vigilet semper, ut tenetur: ergo si concupiscentia sequitur, est quia ratio non vigilat: ergo nonnullam habent culpam.

II. Prima propositio. Huiusmodi motus sæpe esse peccata venialia ex defectu voluntatis. Est certa de fide, ut patet primo, si materia sit levis, & directe consentiat voluntas, vel certe si consensus ipsius voluntatis non sit perfectus, sed indeliberatus, & imperfectus & iuxta hanc conclusionem intelligendus est Diu. Gregorius homilia 16. super Evangelia, & 4. moralium cap. 25. Ildor. libro de summo bono capite 23. Cum in progressu peccati dicunt primo esse suggestionem, secundo delectationem sensus, & hoc esse veniale peccatum. Tertio esse consensum, nam intelligendum est in illo secundo esse nonnullam voluntatem, licet imperfectam. Aduertendum etiam est ex dictis, hoc peccatum veniale appetitus sensitivi denominatione tantum extrinseca esse peccatum, nam tota malitia eius in voluntate, ut ex dictis patet. Præterea aduerte dubitari de hoc peccato, an sit omissionis, vel commissionis: nam Scotus 2. d. 24. quest. 3. & Henricus quodlibet 6. quest. 32. & Almaynus tract. 3. cap. 24. volunt esse peccatum omissionis, quia est causa solum negligentis voluntatis. Alii tamen omnes, & melius, dicunt esse commissionis, quia est contra præceptum negatiuum, non concupiscere: & consistit in actu positivo vel directe, vel indirecte voluntario, sicut patet in homicidio simili modo ex negligentia commissio.

III. Secunda propositio. Sæpe isti motus nulla sunt peccata. Est communis Theologorum sententia, & colligitur ex Augustino locis citatis, nam dicit hos motus ita interdum nullam continere culpam, ut non oporteat pro illorum re- missionem